



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1620 usque ad annum 1623

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118855**

§. 92. Conspiratio in Mauritium Arausionensem Principem a Calvinianis  
Prædicantibus conflata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67344)

Sæc. XVII. quod Calvinii errores ejurassent, tanquam *Apostatas* damnarunt. A. C. 1623. Bassatum vero ob Arianismum, atque alios sex Pastorcules propter adulteria, & nonnullos propter alia crimina quamplurima exauctorarunt. Postremo de Gomaristarum articulis quatuor in Dordracensi conciliabulo definitis juxta ejusmodi formam, quæ nullam relationem cum forma in præfato Concilio usitatam habere videretur, agebant.

## §. XCII.

*Conspiratio in Mauritium Arasfionensem Principem a Calvinianis Prædicantibus conflata.*

*Jæger. Hist. Eccl. l. 3. cap. 5.* *Newill. Hist. d' Holl. t. 1. p. 246. l. 5. cap. 1.* *Meteran. l. c. p. 414.* *Ludolph. theatr. Orb. cap. 4.* Cum inter crebras Arminianorum vexationes Barnesfeldianæ cædis memoria senescere videretur, in ejusdem filii dolor crescere, & innoxium Parentis sui sanguinem vindicandi libido acrius eos stimulare cæpit: obversabatur semper eorum animis tristis recordatio iniquitatis, qua Mauritius privato ex odio ac invidia Virum optime meritum propudioso mortis supplicio affici, pluresque eidem sanguine junctos suis officiis, honoribus & libertate privari curabat: inde Guilielmus & Reinerius ambo Barnesfeldii Filii velut in recenti Patris funere semper aut lacrimas fundere, aut

aut querelas evomere, aut minas spargere audiebantur: paris infortunii, ac proin facile æqualis vindictæ & indignationis socios sese exhibebant Arminiani Prædicantes, qui unam sibi cum Barnefeldiis causam esse credebant, eoquod stimulante Mauritio a Gomari-  
 tis exauctorati miseram prorsus vitam trahere cogentur. Jamjam res in eo erat, ut præter Barnefeldii Filios Henricus Daniel Slatius, Cornelius Geysteranus, Adrianus Dyckius, Weltius, Adrianus Vander dussen, Abraham & Joannes Blansatii, Dwinglous pluresque alii potissimam partem Prædicantes habito Harlemi conventu Mauritium & Henricum ejus Fratrem e medio tollendos esse decernerent, jactato, ut Sectariis mos est, Religionis, patriæ & libertatis obtentu: Ad texendam criminis telam Guilielmus Barnefeldius præcipue consiliis utebatur Slatii Prædicantis, qui præcepta & pecunias ad exequendum parricidium necessarias distribuendi curam in se susceperat. Seligitur cædis explendæ Procurator Adrianus Dyckius; cui quatuor florenorum millia subministrantur, ut constituto sanguinis pretio Sicarios quæreret: nec difficilis erat selectus inter tot homines, quos imbibitus Calvinianæ sectæ furor ad quævis nefanda

Sæc. XVII.  
 A. C. 1623.

Sæc. XVII. proclives reddidit. Erant hi numero  
A. C. 1623. quatuor, Geritzius, Hermanius, Ni-  
 colaius, & Leonartius: His ceteri cæ-  
 dis meditatæ focii cistam sicis, sclope-  
 tis, pulvereque pyrio aliisque instru-  
 mentis ad necem opportunis atque a  
 Slatio coemptis instructam ad destina-  
 tum diverforium Hagam transmitti pol-  
 licentur, hancque in rem duos nautas  
 conducunt, promisso sexcentorum flo-  
 renorum stipendio, si ad egregium opus  
 patriæ proficuum operam suam locare,  
 præfatamque cistam ad diverforium *ad*  
*galeam* dictum transportare vellent.  
 Interim incognitis literis monentur  
 Hollandiæ Ordines, esse quosdam si-  
 carios. qui audax aliquod facinus exe-  
 qui decrevissent. Præcipitur igitur se-  
 dula in advenas inquisitio, constituto  
 ei, qui sicarium deprehendisset, qua-  
 dringentorum florenorum pretio.

## §. XCIII.

*Conjuratio feliciter detecta.*

*Newill. l. c.* **C**onventum erat inter Sicarios, ut  
 Mauritium Principem, dum Haga  
 Risvicum exiguo comitatu stipatus pro  
 more suo concederet, trucidarent, hanc-  
 que in rem Slatius & Dickius solli-  
 citi erant, ut criminis Ministri in  
 vicinis diverforiis aut viis frequentes  
 essent,